

# **Dissertatio inauguralis medica de scirrho ... / [Gustav Adolf Grantz].**

## **Contributors**

Grantz, Gustav Adolf, 1708-  
Wedel, Johann Adolph, 1675-1747.  
Universität Jena.

## **Publication/Creation**

Jenae : Litteris Ritterianis, [1731]

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/rx2x3m9r>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*Q. D. O. M. B. V.*

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE

# SCIRRHO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

# GVILI·ELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-  
GARIAE VVESTPHALIAE ET RELIQUA

SVB PRAESIDIO

# IOANNIS ADOLPHI WEDELII

PHILOS. ET MED. D. PRAXEOS ET CHIMIAE P. P. ORD.  
SERENISSIMORVM SAXON. DVCVM CONSILIARI  
ISENACENSIS AVLICI ET ARCHIATRI ET ACAD.  
NATVR. CVRIOSOR. COLLEGAE

PATRONI, PRAECEPTORIS AC PROMOTORIS  
OMNIS HONORIS CVLTV PROSEQVENDI

## PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA  
MORE MAIORVM RITE CONSEQVENDI

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMISSA

A

# GVST. ADL. GRANTZIO

GRAB. MEGAPOL.

DIE IVL. ANNO M DCC XXXI.  
LOCO ATQVE HORIS CONSVENTIS.

---

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

жеси азахуаи сіткяна

# ОНДЯНО

ондяно азахуаи з я отвя  
само да зюдя омисла на

ондяно

# ОДЯНО САДЫН

одяно садын

# ИДЯНО САДЫН

идяно садын садын садын  
садын садын садын садын садын

# САДЫН ОДЯНО

# САДЫН ОДЯНО

одяно садын садын садын садын  
одяно садын садын садын садын

одяно садын садын садын садын



## I. N. I.



Cirrus vox Græca est , licet apud Hippocratem non reperiatur , quod & Casp. Hoffmannus obseruauit , in Institut. Med. Lib. III. c. 41. §. 8. Σκύρρος , ὁ , inquiens ( non σκύρρος , οὐ σκύρεος ) vox est Hippocrati incognita : at Galenus posterique tribuunt hoc nomen tumoris duro & insensibili . Ita loquor . Nam 14. Meth. 6. scirrhos vocat illos tumores duros , qui iam plane insensiles sunt incurabilesque : at , scirrhos tumores qui sensum habent & spem curationis non admittunt . In quibusdam partibus scirrus alio nomine exprimitur , ut glandulæ ita affectæ generatim glandulæ induratae dicuntur ; speciatim strumæ , scrophulæ colli glandulæ ita vitiatae vocantur ; bubones in inguinibus & sub axillis , parotides pone aures , si in scirhosum statum abeant , hanc appellationem interdum seruant , quæ tamen & aliis harum glandularum tumoribus generatim tribuitur .

## §. II.

Est autem scirrus tumor partium mollium præternaturalis , durus , frigidus , indolens , siue exquisitus sit , etiam sine sensu , a distensione pororum fibrarum & mem-

branarum, aliarumque cavitatum minorum, serum, vel alium ex sanguine secretum humorem, recipientium, per particulas pituitosas, acidas, tartareas, ibidem subsistentes, accumulatas, & magis vel minus coagulatas, & induratas, facta, proueniens, variaque symptomata procreans.

### §. III.

Ad tumores pertinet scirrus, cum magnitudo partis aucta sit. Augmentum magnitudinis non semper ultra externam eminet superficiem, sed, internas occupando cavitates, visui se subducit, tactu tamen deprehenditur, & post mortem, dissecta parte, conspicitur.

### §. IV.

Partes molles subiectum scirrhi sunt, in ossibus enim orti tumores hoc nomine haud designantur. Ex his glandulæ & glandosæ partes sæpe ita laborare obseruantur, ut mammae, pancreas & reliquæ; non tamen solæ. Nam & membranosæ, & aliæ, partes scirrhosæ haud raro inueniuntur, vt ventriculus, intestina, omentum, vesica vrinaria. Ita & uterus, cuius substantia tamen musculosa est, scirrhosus euadit, aliæque partes musculosæ, vt observationes testantur, sic adfici solent. Nec in viscerum, pulmonum, hepatis & lienis, substantia glandulæ sunt, demonstrante id *Ruysebio* & *avrophiæ*, & tamen scirrho corripiuntur.

### §. V.

Præternaturalis hic tumor est, actiones enim ipsius partis ita affectæ, aliasque inde dependentes, vt & partium vicinarum, lædit, nec in sano statu occurrit. Durum eum esse & frigidum, id est sine calore præternaturali, & indolentem, sensus & ægri & aliorum euincunt. Duritie autem ab oedemate, caloris absentia ab inflammatione,

dolo-

doloris cum expers sit, a cancro & aliis, discernitur. Omni sensu carens, si digitis, vel alias, prematur, confirmatum & radicatum malum esse innuit.

## §. VI.

Cum tumoris essentia in magnitudine præternaturalam aucta consistat, magnitudo autem partis augeri aliter non possit, quam augmento materiæ præternaturali, sequitur, ut materia in ipsa parte hæreat. Pars autem solida omnis vnicē fibris & cavitatibus interpositis absolvitur, ergo materia accedens vel in fibrarum substantiam mutatur, ut fibræ vel elongentur vel multiplicentur; vel cavitates interpositas occupat. In scirrho, prægressa sectione, examinato, non fibrarum substantia elongata, nec multiplicata, occurrit, igitur, in cavitatibus interpositis ut persistat materia, necesse est. Cavitates maiores materia indurata repletæ haud conspicuntur, sed fibræ partis crassiores tantum redditæ, & cavitates reliquæ minores infarctæ, reperiuntur, adeoque materia scirrum faciens in cavitatibus minoribus est, hasque replendo distendit. Vnde distensione harum cavitatum causa immediata scirri est.

## §. VII.

Cavitates minores in partibus mollibus occurrentes vel sanguinem continent, vel serum, vel alium humorem, ex massa sanguinea separatum, v. g. lac in mammis. Sanguinem continentia vascula capillaria in scirrho non distenduntur. Nam, hoc si fieret, a sanguine stasin concipiente id contingere, & rubor appareret, adeoque inflammatio potius, quam tumor frigidus, & sine rubore conspicuus, qualis est scirrus, oriretur. Ergo cavitates reliquæ minores, pori nempe fibrarum & membranarum, & ductus minores, serum, vel reliquos, a sanguine diuersos, humores

mores, recipientes, subiectum principale huius distentionis, adeoque scirrhi, sunt.

### §. VIII.

Materia, cavitates dictas distendens, est causa mediata proximior scirrhi, & eandem constituunt partes pituitosæ, acidæ, & tartareæ, magis vel minus coagulatæ, & induratae. Coagulatas, & maiore vel minore gradu induratas, has esse, tactui & visui patet. Pituitosas autem, acidas, & tartareas esse, ex eo constat, quia ad has cavitates nihil, quam dicti humores, accedit, adeoque in humoribus his prius ut fuerint, necesse est. Aliæ autem particulæ, coagulum & indurationem eiusmodi subeuntes, in dictis humoribus, ut per analysin chimicam euincitur, non reperiuntur, quam modo laudatæ, quæ sibi relictæ, seorsim & coniunctim, condensari ita possunt, & alias quasdam simul occultare, & detinere.

### §. IX.

Distensionem hæ facere non possent, nisi accumularentur in cavitatibus recensitis, & repletionem maiorem inferrent. Accumulari autem non valerent, nisi hic subsisterent. Ergo obstructio harum cavitatum facit, ut hæc eueniant, & quidem inæqualis, cum accessio harum particularum fiat maior, exitus autem minor. Obstructio autem vel ab ipsis his particulis, tam in sero, quam reliquis humoribus, qui huc accedunt, eminentibus, efficitur, vel a parietibus harum cavitatum vitiatis. Illud fit, quia olearum prædominium humores crassiores & viscidiores evadunt, & partes fluxiles ac tenues, illarumque solutionem præstantes, pauciores sunt & debiliores, adeoque in angustiis his subsistunt, qualitate ita peccantes, & partes tenuiores ulterius dimittunt, vnde adhuc magis illæ eminentes redduntur,

tur, coagulantur, & successiue indurantur. Parietes vitiati obstructionem talem pariunt, si vel sicciores sint, vel circa exitum cauitatum magis ad se accedant, angustiamque effiant, vel fibræ eorum, laceratæ per contusionem, adfluxum maiorem inuitent, transitum tamen impedian, ut humores iamduim spissiores, qui huc accessere, retardentur, maioremque moram ibidem trahant, & ante dicto modo coagulentur.

### §. X.

Sicciores parietes obstructioni ansam præbent, quia humores, qui transitum tantum habere debebant, tunc facilis & firmius adhærent. Contactus enim fibrarum immediatus ab humore transeunte crassiore fit, quem alias tenuissimus minimeque viscidus liquor, ex arteriolis fibrarum in superficiem harum tranans, eamque humectans, impedit. Angustia extremitatum vel a frigido aere admisso, vel ab adstringentibus inconcinne applicatis, vt in ulceribus, vel ab aliis tumoribus, in his partibus prius hærentibus, & scirrum post se relinquenteribus, inferri solet. Siccitas autem parietum a defectu liquoris serosi tenuioris in sanguine, & a crassioribus magis ibidem hærentibus, prouenit.

### §. XI.

Quæcunque igitur partes vel pituitosas, vel acidas fixiores, vel tartareae, augere, tenues autem, fluxiles, & solutionem illarum præstantes, minuere vel debilitare, & tandem parietes laudatarum cauitatum, dicto modo, vitiatos reddere, possunt, ad causas medias remotiores scirrhi pertinent. Omnia autem hæc sub tribus continentur classibus, vt ad res vel naturales, vel non naturales, vel præternaturales pertineant.

### §. XII. Ex

## §. XII.

Ex naturalibus huc pertinet temperamentum tam pituitosum, quam melancholicum, & atrabilarium, in isto enim particulæ pituitosæ, in illo acidæ fixiores, vt & tartareæ, in hoc autem acidæ biliosæ, viscidis & tartareis immersæ, secundum naturam eminent, adeoque facilius incrementum obtainere possunt morbosum, vt hic etiam inde nascatur morbus. Ætas quidem nulla excepta est, magis tamen huic rei idonea est prouectior, quia in minori partes diluentes & soluentes copiosiores adhuc reperiuntur. Sexus vterque ita adficitur, in sequiori autem mammæ & vterus non ita raro sic adfliguntur. Dispositio hereditaria tam ad temperamentum simile propagandum, quam ad prouentum particularum eiusmodi morbosarum copiosiorem, facit.

## §. XIII.

Ex non naturalibus rebus aer & nimis calidus, & nimis frigidus, vt & crassus & nebulosus, huc facit. Nimis calidus partes tenues soluentes & fluxiles magis quam par est, dissipat, vnde fixiores & viscidiores magis spissescunt, & ad separationem & secretionem inhabiles redduntur, vnde & ad coagulum magis vergunt, & augmentum maius recipiunt. Frigidus, crassus, nebulosus, & coagulum viscidis promptius conciliat, debilitando ipsum soluens, actionemque eiusdem impediendo, & poros, reliquasque vias, exi- tum his partibus alias concedentes, stringit & coarctat.

## §. XIV.

Alimenta crassa, viscida, minus resolubilia, muria-  
ta, exsiccata, vt carnes & pisces eiusmodi, & generatim pi-  
sces, partes pituitosas copiosiores præbentes, acida, austre-  
ra, leguminosa, vt fabæ, lentes, pisa &c. lacticinia, fari-  
nacea

nacea, non fermentata, panis recens, placentæ, materiam mali suggestunt. Potus vini nimius dissipat partes fluxiles utiles, inertes, acidæ, tartareas, crudiores, relinquit. Vinum recens, ut & cereuisia non satis defecata, & ad acorem vergens, easdem partes noxias augent. Defectus potus humidum soluens, & fluxilitatem reliquis concilians, minuit, restaurazione non facta, unde particulæ lentæ, viscidæ, crassæ, ad secessum & exitum non satis idoneæ, redduntur, ergo remanent & accumulantur.

### §. XV.

Motus nimius, absumento serum fluxile, post cibum statim suscepimus, partes alimenti grossiores in massam sanguinis præcipitando, occasionem malo præbet. Vita sedentaria partium lentarum, & morbum hunc facientium, separationem & excretionem impedit. Motus enim humorum sufficiens non adest, unde remanent in iis eiusmodi contenta. Animi pathemata vehementiora dissipant partes volatiliores spirituosas fluxiles, quæ inertes soluere, & ad exitum aptas reddere, debebant, ergo hæ relinquuntur. Adfectus, qui concentrant spiritus, & motum agiliorem prohibent, humores quoque fixiores, & acidis, tartareis, referatos, efficiunt. Adeoque tristitia longior, curæ grauiores, moeror & similia, noxam hanc inuitant.

### §. XVI.

Excretio partium soluentium nimia, per quemcunque locum ea fiat, crassiores & fixiores in humoribus partes auget. Per vias vrinarias vna cum vrina, per menes rite fluentes, & per hæmorrhoides ordinatas, vna cum sanguine etiam pituitosæ, acidæ, fixæ, tartareæ & atrabilariæ, partes secedunt, quæ, excretione eiusmodi prohibita, seu cessante, necessario remanent, & multiplicantur. Lactis exitu ex mammis impedito, vel non

rite facto, id stagnat, coagulatur, &, si hoc negligatur, scirrum efficere valet, quanquam rarius id eueniat.

### §. XVII.

Inter præternaturales res haud paucæ sunt, causarum harum vicem subeuntes. Febres chronicæ, quæ viscidæ & tartareæ materiæ debentur, vt quartana, aliæque intermitentes, aliquando post se trahunt scirrum, vel ob quantitatem eiusmodi partium nimis magnam, & magis accumulatam, vel ob secretionem & excretionem earum, tum alias, tum in primis inconcinna curatione, impeditam. Inflammationes, potissimum si a medicis vel chirurgis non recte curantur, etiam in scirrum abire solent. Maxime autem id fit, tam vnu refrigerantium & adstringentium nimo, quam excessiva & præcipitata instituta discussione, qua, subtile quod est, subito fugatur, crassum autem relinquitur & compingitur. Hoc autem non ita est accipendum, ac si sanguis ipse coagulum subiret, & induraretur, in suis vasis, quod in scirrho haud fieri (§. 7.) ostensum est. Verum tam humor, ex sanguine in poros & reliqua vasa minora secernendus, spissior euadit, quam, quod iam in his minoribus cauitatibus huius humoris hæret, magis adhuc, ob calorem maiorem, condensatur, vt solidiorem subeat consistentiam, quod postmodum in humore, prius spissiore facto, & ulterius ad has cauitates deposito, multo facilius fit.

### §. XVIII.

Illi morbi, in quibus pituitæ viscidæ, acidi fixioris, & tartari prouentus maior est, eo ipso scirrho occasionem facile præbent, vnde malum hypochondriacum, scorbutus, & lues venerea ita se habent. Multo magis autem scirrum inuitant, si minus recte tractentur, vnde & gonorrhœam

rhoeam virulentam, sinistre curatam, & testium scirrus, & bubones scirrhosi, sequuntur facile. Tumores alii prægressi, tam partium glandosarum, quam aliarum, si negligantur, vel præue tractentur, scirrum post se trahunt. Mora enim humorum maior, & partium subtiliorum fecesus, illud perficit, vt (§. 9.) iamdum dictum est. Compressio fortior, ictus, punctura, commorsio, eadem ratione, vt contusio, obstructionem, & initium huius mali, dant, rarius tamen & vix, nisi neglecta primitus. Ulcerum mentionem (§. 10.) iam fecimus.

### §. XIX.

Differentia scirri vel a subiecto, vel a distentionis gradu, vel a materia distendente, vel ab affectu præternaturali manifesto prægresso, eumque excitante, recte desumitur. Subiectum seu pars affecta scirrho differetiam & nomen dat vel in se, vt ex §. 4. constat, vel ratione spatii, quod in parte occupat. Vel enim tota pars scirrhosa facta est, vel aliquam eiusdem particulam tantum scirrus tenet, vt in pulmonibus, hepate, & aliis, aliquando videtur. Distentionis gradus vel remissior est, vel summus; remissior, si cavitates minores nondum penitus repletæ sunt a particulis coagulatis & induratis, & tunc scirrus vocatur *incipiens*, non *exquisitus* vel *non exactus*. Summus autem distentionis gradus est, si omne spatum cavitatum dictarum a particulis coagulatis & induratis sit repletum, vt & maiorem duritatem, & sensus amissionem quoque, pars affecta subierit, qui in remissiore obtusior & imminutus tantum est. Et tunc scirrus dicitur *confirmatus*, vel *exquisitus* vel *exactus*.

### §. XX.

Materia distendens & coagulata in scirrho cum sint

partes pituitosæ, acidæ & tartareæ (§. 8.) hæ autem non eandem, sed diuersam, obtineant proportionem, huius ratione scirrhi diuersi emergunt. Pituitosæ, crassæ, glutinosæ, si eminentes sint, nec acidæ, nec tartareæ, appareant, sed latitent, & pauciores sint, quam ut sui indicium præbeant, & coagulatæ & induratæ, scirrum efficiant, *scirbus pituitosus* dicitur. Sin autem partes acidæ fixiores, quæ viscidas & terreas coniunctas habent, superantes & coagulata, materiam dictam constituant, *scirbus melancholicus* veteribus vocabatur, quod nomen commode seruari potest. Sed hæ quoque partes, cum varietatem exhibeant, differentiam scirrhi ulteriorem præbent. Partes enim hæ vel mitiores temperatæque sunt, quales in statu naturali quoque adsunt, & adesse debent, quæ veteribus melancholiæ naturalis nomine insignebantur, vel intemperatæ sunt, & melancholia præternaturalis ipsis audiebat. Naturalis hæc melancholia si quantitate tantum excedat & coagulata, scirrum faciat, *scirbum* talem *legitimum* appellarunt; præternaturalis autem sin eundem fecerit, *scirbum non legitimum* dicebant.

### §. XXI.

Præternaturalis melancholia intemperata, cum a partibus eandem constituentibus emergat, vel ita se habet, ut in eadem magis terreæ abundant crassiores, quæ tartareæ chimicis salutantur, vel acidæ concentratores & acriores, partibus biliosis intimæ fermentatis, quæ atrabilis a veteribus nominantur. Illæ coagulatæ si scirrum produxerint, *scirbus lapidosus* nominatur. Hæ autem, quamdiu adhuc silent, nec vim suam exerunt, quod fit, si a reliquis remixtis partibus tantisper obtundantur & temperentur, quoniam ad cancrum facilis est transitus, *scirbus cancrosum*

a qui-

a quibusdam vocatur, quod nomen seruare tamdiu potest, quamdiu occulta & temperata adhuc est acrimonia; hac autem se manifestante, cancer occultus recte dicitur, & non amplius scirrhus est; hic enim dolore & tali sensu carere debet. (§. 2.)

## §. XXII.

Partes hæc, differentias dictas exhibentes, humoribus ex massa sanguinea separatis, & ad cavitates minores (§. 7.) accedentibus, sero in primis ut in plerisque partibus, lacti & sero in mammis, bili in hepate, succo pancreatico in pancreate, immersæ sunt, & postmodum secessum & coagulum subeunt, superius (§. 9.) dicto modo. Sanguis ipse vero, cum ad has cavitates non penetret, nec coagulatus, materiam distendentem hoc loco constituat (§. 7.) differentiam scirrho, hoc nomine, præbere haud potest, adeoque scirrhus sanguineus, hoc sensu, non datur. Si autem quis scirrum sanguineum eum vocare, cum Casp. Hoffmanno *Instit. Med. libr. III. c. 55.* velit, qui a massæ sanguineæ vitio manifesto præcedente initium duxit, non repugnabimus. Hic enim, si post febres diurnas, vel malignas, vel post inflammationem, vel ex retentione mensium hæmorrhoidumue accidat scirrus, sanguineum vocat, vt biliosum, si ex tartarea bile in hepate tale quid fiat.

## §. XXIII.

Affectus præternaturales manifesti prægressi, scirrum excitantes, licet peculiarem, & a dicta diuersam, materiam distentionis minime præbeant, ut modo dictum est, differentiam tamen exhibent, in praxi attendendam, cum obstructioni, distentionem in scirrho efficienti, occasionem præbeant, & interdum ipsam materiam distendentem suggerant, vt ex §. 17. & 18. constat. Seruari ita-

que possunt quædam nomina, scirrho ab antiquis imposita, vt scirrus phlegmonodes dicatur, qui inflammationem sequitur, oedematodes, qui post oedema accedit, erysipelatodes, qui ex erysipelate ortus est; non autem id ita intelligendum est, vt olim volebant, melancholiæ naturali remixtum sanguinem in isto, pituitam naturali melancholiæ coniunctam in illo, bilem mitem melancholiæ naturali combinatam in hoc, materiam distendentem constitueret.

### §. XXIV.

Cum in scirrho cavitates minores a particulis, magis vel minus coagulatis & induratis, distendantur (§. 7. 8.) illæque ulterius facile distendi nequeant, repletæ cum sint, fibræque resistant, hæ autem firmiores, ob fluiditatem amissam, sint, durities in scirrho ut adsit, necesse est. Frigidus scirrus est, seu sine calore, quia materia distendens minime sanguis est (§. 7.) sed partes pituitosæ, acidæ, tartareæ, (§. 8.) quæ solæ calorem concipere non valent. Dolor in scirrho abest, cum distentio lente & successiue fiat, & acrimonia in materia distendente vel absit, vel tamdiu, quamdiu scirrus est, obtundatur & temperetur (§. 21.). Sensus autem in scirrho prorsus tollitur, si consummata repletione, & exsiccatione ac induratione, fibrillæ nerueæ interpositæ in tantum comprimantur, vt spirituum transitus penitus sit prohibitus.

### §. XXV.

Cavitates minores repletæ in scirrho cum obstructæ sint (§. 9.) nec serum, nec alium ex sanguine secretum humorum, qui alias hic recipi & transmitti debebat, admittunt, adeoque secretio hæc cessat, & usum hunc pars, ita affecta, praestare amplius nequit. Igitur vel sanguini remi-

remixta permanent hæc fluida, eumque vitiosum reddunt, vel in aliud & peregrinum locum abeunt & effunduntur, vnde alia sequuntur mala, v. g. icterus ex hepatis vel lienis tali statu, vel hydrops, ex iisdem vel aliis partibus ita constitutis. Interposita hisce cavitatibus repletis vascula sanguifera compressionem subire coguntur, cum materia distendens spatium occupet. Angustia autem, his inducta, sanguinis velocitatem, tum in his, tum in partibus viciniорibus mutat, adeoque, pro ipsius sanguinis diuersitate, varia inde consurgere possunt mala.

### §. XXVI.

Ipsa materia distendens, si salia paucissima in se contineat, ut actiuitatem suam exerere nequeant, sine motu intestino, & mutatione alia, quam induratione, permanet. Sin autem salia acida, vel acido-bilioſa, concentra-tiora & copiosiora, insint, licet prius sileant & quiescant, facile tamen vel sola mora, vel pluribus ex sanguine, si in eodem exsuperent, in eandem penetrantibus, vel exte-rius emollientibus, aut corrosiuis, aliisque irritantibus, applicatis, vel, intempestiuia apertione, aeris accessu inuitato, vim accipiunt, motum intestinum subeunt, concentra-tioremque acrimoniam contrahunt, vnde in cancrum fit transitus.

### §. XXVII.

Sola quoque magnitudine aucta effectus præternatu-  
rales alios scirrhus edit. In externa enim corporis su-  
perficie hærens, inconcinna sua prominentia, deformitatem  
corpori conciliat. Alibi persistens vicinas partes pre-  
mendo adficit. Vasa sanguifera igitur si ita inde preman-  
tur, vt stasis sanguinis consurgat, inflammatio, gangræna,  
sphacelus, excitari potest. Nerui vicini notabiles, per pres-

sionem obstruēti, paralyſis inferunt. Bronchia pulmonum, a scirrho eorundem ita coarctata, respirationem difficilem pariunt; & sic in reliquis. In cavitatibus aliis, transmittendo mobili destinatis, si sit scirrus, spatium earundem occupando, nouam obstructionem efficit, ita in intestinis aliquando ileum, in vteri cavitatibus vel sterilitatem, vel partum difficilem, produxit.

### §. XXVIII.

Scirrus, in externis partibus præsens, cognoscitur facile, modo ad symptomata essentialiter inhærentia attendamus, tumorem enim, duritiam, ruboris absentiam, viſu & tactu deprehendere licet, dolorem absentem æger referre recte potest, vt &, impressus num sensum aliquem obtineat, vnde non exquisitus scitur, an vero digitis pressus, vel percussus nihil sentiat, tunc enim exquisitum innuit. Ptitosus scirrus ex signis pituitæ abundantis, melancholicus ex melancholiæ exsuperantibus indiciis, deprehenditur. Lapidosus ex tartari coagulabilis eminentia, per sua signa eruenda, cognoscitur. Cancrosus, vel ad talem statum vergens, ex acido concentratori seu acido bilioso, quod atrabilis alias audit, præsente manifestatur, quod itidem suis indiciis erui debet. Quod si autem acrimonia acida, vel acido-bilioſa, in ipso scirrho extrauertatur, pruritu, deinde dolore morsicante, per interualla in principio, accedente, se prodit, & tunc cancer euadit. Prægressus adfectus manifestus alius si scirrum inuitauerit, sola quæſtione, & inuestigatione eorum, quæ prægressa sunt, discitur.

### §. XXIX.

Internas partes si obſideat scirrus, hæque ita sitæ sint, vt per integumenta communia mollia, ſentiri & tangi durities poſſit, dolorque vna abſit, vel tantum exiguus in prin-

principio, vt in hepate, liene & vtero, cognosci quoque poterit, quibus & causæ manifestæ prægressæ, & effectus, pro cuiuslibet partis conditione, se exerentes, si addantur, id adhuc magis confirmatur. Quodsi autem partes adfectæ talem sedem non habeant, difficilius quoque, & non nisi per coniecturam artificiosam, scirrhos pernosci potest; imo quandoque penitus latet, & post mortem deum, sectione artificioſa aperto corpore, manifestatur.

### §. XXX.

Scirrhos qui partem ignobiliorem tenet, qui non exquisitus est, a pituita sola proueniens, qui lapidosus est, periculum vitæ inferre non solet; quodsi autem melancholicus sit scirrhos, maioremque acidi rosiui quantitatem foueat, in cancrum abire, & sic quoque periculum vitæ conciliare, potest. In partibus nobilioribus autem occurrens nunquam fere est sine periculo, & eo magis vitæ insidiatur, quo plures actiones ad vitam necessariæ indelæduntur, in primis si exquisitus iam sit, vel lapidosus, vel ad cancrum inclinans. Quandoque tamen obseruatum est, tumorem talem hepatis, vel lienis, vel aliis partis, si sine omni acrimonia sit, & per reliqua viscera, id quod hic deficit, resarcitur, diu nullo fere vitæ incommodo, interdum per totam vitam, durasse. In raris tamen id est.

### §. XXXI.

Exquisitus scirrhos, vt & lapidosus, nulla curatione tollitur. Non exquisitus autem, pituitosus, & melancholicus legitimus, curari quidem potest, non tamen facile, & sæpe tantum post decenter usurpata medicamenta id patescit, quid sperandum sit, vel minus. Atram bilem autem, licet latitatem, qui coniunctam habet, non solum vix curatur, ni-

C

si per

si per arcana remedia, sed etiam ordinariis scirrhi remedii ad cancrum facillime perducitur, vnde prudentissime tractari, & magis demulceri, & ab ulteriori progressu arceri, quam emollientibus vel irritantibus exasperari, debet. Nec extirpatione semper tutum est remedium, licet reliquæ circumstantiæ eandem concedant. Viscerum enim & massæ sanguineæ deturpatus status alio in loco simile & grauius malum excitare solet facile.

### §. XXXII.

Chronicum admodum est malum, cum a lentis viscidis & fixioribus humorum partibus proueniat, &, si vel maxime curationem adhuc admittat, breui tempore tolli non potest, ob eandem causam. Quod si sanetur, successiva solutione & eductione partium, in eodem subsistendum, fit. Ad mortem autem si hominem perducat, alio adscito morbo id facit, cachexia, hydrope, ictero contumacissimo, corruptione viscerum, abscessu vicinarum partium, cancro, sphacelo, & similibus.

### §. XXXIII.

Cum scirrhus a distentione cauitatum minorum dependeat, (§. 6.7.) hæc autem a partibus pituitosis, acidis & tartareis, magis vel minus coagulatis & induratis, proueniat, (§. 8.) si in illis, ob obstructionem, subsistant & accumulentur, (§. 9.) ipsa vero obstructio vel a dictis particulis in humoribus, qui huc ex massa sanguinea accedunt, eminentibus, vel a parietibus harum cauitatum vitiatis, efficiatur, (§. 9.10.) necesse est, vt, si eundem curare velimus, non solum partes has pituitosas, acidas & tartareas, tam in massa sanguinea abundantes, quam in cauitatibus minoribus

bus subsistentes, corrigamus & minuamus, verum etiam via parietum harum cavitatum emendemus.

### §. XXXIV.

Partes pituitosas, acidæ, tartareae, in massa sanguinea abundantes, corrigunt, quæ iisdem fluorem conciliant & conseruant, ne tam prompte ad coagulum vergere queant, sed euacuationi spontaneæ, & arte instituendæ, habiles sint. Pituitosas in primis ita emendant incidentia, acidæ edulcantia & absorbentia, tartareae resoluentia, omnibus communia sunt diluentia. Hæc autem omnia sub aperientium classe reperiuntur, &, ut minime eadem proportione dictæ partes eminent vitiosæ (§. 20. 21.) ita etiam remedia opponenda & feligenda, & combinatione iisdem respondentia reddenda, sunt, ut modo incidentium, modo resoluentium & absorbentium, & diluentium, quantitas augeatur. In pulueris forma locum habent crocus martis aperitiuus, sulphuratus, sapphirus occidentalis præparatus, lapid. cancror. corall. rubr. mater. perlar. conchæ, chelæ cancrorum, radix ari, pimpinellæ albæ, calami aromatici, cinnamomum acutissimum, cassia lignea, pulu. stomachal. Quercet. antimon. diaphoreticæ, martiale cachecticum, cinnabaris nativa, antimonii, succinum alb. præparatum, salia media, arcanum dupl. Mynsichti, tartarus vitriolatus, tartarisatus, chalybeatus, nitrum depuratum, nitrum antimoniat. olea destillata citri, caryophyll. arom. lign. sassafr. & alia, minori quantitate, pulueres cachectici & aperitiui variorum auctorum, ad quorum exemplum ex dictis varii, pro specialium circumstantiarum conditione, concinnari possunt.

### §. XXXV.

In mixturiſ conueniunt tincturæ martiales, vt essen-

tia vitriol. martis Ludouici, tinctura martis aperitiua Zvwölfferi, tinctur. mart. helleborata, tartarisata, cydoniata & aliæ, elix. aperitiu. Clauderi, quibus recte addi potest arcanum tartari liquidum, rite paratum, spiritus tartari verus, mixtura antiscorbutica Wedelii, essent. pimpinellæ albæ, scordii, vincetoxici, & aliæ. Ex alcalicis tincturis est tinctura antimonii tartarisata, tinctura tartari, in primis pituita eminentia.

### §. XXXVI.

Decocta, humido vna deficiente, prosunt ex radic. 5. aperientibus, trifol. fibrin. ari, cichor. gentianæ, bryon. sarsæpar. helen. herb. hep. nob. cuscut. meliss. hyssop. scolopendr. card. ben. marrub. alb. fl. cichor. bellid. borrag. bugloss. summ. fumar. centaur. minor. & similibus facta. Huic fini etiam conueniunt aquæ destillatæ cichorii, taraxaci, scolopendrii, card. benedicti, cuscutæ, vt & acidulæ Schvvalbacences, Egranæ & aliæ. Omnia autem laudata remedia aperientia etiam ratione mali fouentis seligenda & adhibenda ita sunt, vt mali hypochondriaci, scorbuti, mensium & hæmorrhoidum suppressionis, luis venereæ, &c. si adsint, habeamus rationem, & his corrigendis simus vna intenti.

### §. XXXVII.

Partes laudatas in massa sanguinea abundantes minnuunt partim iam dicta, correctæ enim secernuntur & excernuntur, licet non sufficienter, partim euacuantia. Ex euacuantibus hic maxime conueniunt purgantia, aperientibus rite interposita. Talia sunt pilulæ de gummatibus Syluii, vel ad harum imitationem concinnatæ aliæ, quibus & mercurius dulcis addi poterit, pil. tartareæ Bontii, melan-

melanagogæ Quercet. Infusa commoda quoque sunt, quæ vna corrigunt & minuunt, quæ ex purgantibus recipiunt rhab. Alex. rhab. monachor. fol. sennæ, fibr. helleb. nigr. veri, mechoacann. alb. ex alterantibus rad. bardan. vicetox. pimp. alb. sarspar. apii, petroselin. cichor. bryon. helenii, caryophyllatæ, herb. marrub. alb. calamint. abroton. eupator. hyssop. agrimon. capillorum veneris, meliss. flor. ros. rubr. borrag. cichor. bellid. summ. cent. min. lign. sandal. rubr. citrin. sanct. schoenant. cortic. VVinter. lign. sassafr. spic. Ind. sem. siler mont. foenic. anis. limat. martis. crem. ♀. & similia, facile in formulam redigenda & varianda.

### §. XXXVIII.

Venæ sectio aliquando locum habet, si sanguis vna abundet, & spissior sit. Minime autem utilis hæc est, sed noxia potius, si pituita abundet, cui minuendæ purgantia magis conueniunt. Mitiora diaphoretica, vt & diuretica, sub aperientibus iamdum continentur recensita, quæ imminutionem quoque præstant.

### §. XXXIX.

In cauitatibus minoribus, & hinc in ipso scirrho, subsistentes dictæ partes tam per ante dicta simul corriguntur, & ad eductionem disponuntur, si accessus humorum emendantorum detur, quam per externa adhibita. Talia autem sunt, quæ partes coagulatas & induratas resolunt, & poros dilatant & aperiunt, & fibras roborant. Ita enim illæ successiue soluuntur, & reliquis humoribus mixtæ, aptis locis euacuantur. Prudenter vero Galenus omnesque genuini medici monent, ne résoluentia & discutientia fortiora adhibeantur, quæ partes subtile & soluentes absu-

munt, crassum autem & minus solubile postmodum relinquent. Vnde emollientia & resoluentia vel alternatim applicanda, vel apte miscenda, sunt, ut scopo satisfaciant.

### §. XL.

Applicari hæc solent forma vel fôtus, vel cataplasmatis, vel vnguenti, vel emplastri, vel suffitus humidi. Fôtus tales fiunt ex rad. altheæ, bryon. filic. angelicæ, cucum. asinæ. herb. agrim. marrub. alb. alth. capill. venef. rutæ, absinth. sabinæ, floribus chamomill. melilot. alth. sambuc. rosar. summit. aneth. cent. min. bacc. laur. contus. &c. Ex his quædam apte mixta recipiuntur, coquuntur in aqua simpl. & additur ad quamlibet colaturæ libram spiritus theriac. vel cochlear. ʒj. vel adhibentur aquæ partes duæ & vini pars una. Postmodum fôtus fit mediante vel spongia, vel panno laneo, vel linteis quadruplicatis.

### §. XLI.

Cataplasmata tam ex iisdem fieri queunt, &, pro re nata, etiam addi rad. scrophulariæ, sigilli Salomonis, herba nasturtii, cochlear. cicutæ, nicotianæ, quibus & quidam sterlus bubulum, caprillum, miscent, vel ante dictis liquoribus, vel solo vino, coquendo, & postmodum sub finem adiciendo gum. galban. in vitello ouor. subacti & farinæ lini huiusque olei sufficientem quantitatem. Commodum quoque est cataplasma ab *Hier. Fabric. ab Aquapendente* ex Almansore descriptum. Vnguenta a quibusdam adhibentur, ut vnguent. dialtheæ, de melilot. de arthanita oleum philosophor. saponis, lumbricorum terrestrium, petræ, & ipsum spiritum vini iungendo.

### §. XLII.

Emplastra hic conuenientia sunt empl. de gumm. ammo-

ammoniaco, galbano, sagapeno, ladano, lap. pyrit. de cicuta, spleneticum Sennerti, diachyl. s. cum gummatibus, ceratum sandalin. de ranis Vigoniscum mercurio triplicato, vel quadruplicato, saponatum Barbette camphoratum. Ex quibus pro materiae contentae diuersitate hoc vel illud seligi, &, fotu præmisso vel interpolato, vel omisso, imponi debet.

### §. XLIII.

Suffitus humidus ex aceti vapore, ab ipso *Galen*o propositus, in externarum partium scirrho adhiberi potest, præmissis internis & reliquis. Lapis nempe pyrites, vel, si is non sit, frustum lapidis molaris, ignitur, hinc acetum acerrimum adfunditur, vapor calidus ascendens parte scirrhosa excipitur, & in eodem vertitur, vt vndique inde adficiatur, postmodum oleum sabinum, vel simile, inungatur, & per aliquot dies repetatur. Quidam per infundibulum vaporem admittunt, & ex sulphuris communis accensi vapore eundem effectum sibi promittunt.

### §. XLIV.

Cancri autem metus & indicia si adsint, nec emollientia, nec fortius resoluentia, adhibenda sunt, nam citius sic in actum deducitur, & peior euadit. Eadem hinc, quæ in cancro occulto remedia utilia sunt, usurpanda. Internæ, quæ massam sanguineam puriorem reddunt, & acre rosuum a viscido blandissime & successiue liberant, statim interpositis iis, quæ acres partes liberatas temperare, & aptas reddere, valent, vt secerni & excerni citra noxam queant, quod insigne arcanum est. Exterius autem emplastrum diapompholygos reformatum *VVedelii* impositum, vel solum saepe, prodest, vt ita diu in centro detineri queat

queat absque incremento, & metu cancri aperti, qui alias promte, his non rite tractatis, sequitur.

### §. XLV.

Apertio scirrhi, ferro vel corrosiuo facta, nunquam tuta est, & etiam non malignus, male inde cedere potest. Alia res est, si testis scirrhosus sit, nullumque contradicans adsit, sed alia id vrgeant, tunc extirpatio quandoque locum inuenit.

### §. XLVI.

Parietum cauitatum minorum vitia (§. 9. 10.) corrigitur primo siccitatem emendando, quod faciunt eadem aperientia & humectantia §. 34. & sequ. recensita; deinde angustiam extremitatum remouendo, quod fit, si aer frigidus in culpa sit, eundem arcendo; adstringentia, inconcinnne imposta, si eam induixerint, eadem statim remouendo; si aliis tumor præsens eandem foueat, hunc pro sua conditio-  
ne lege artis curando; tandem laceratas a contusione fi-  
bras fotibus demulcendo & consolidando, humores au-  
tem fluxiles, vt subinde remeare possint, conseruando.  
His autem causis cessantibus, eadem ratione, vt alias, si  
sine his esset, procedere conuenit.

### §. XLVIII.

Omnibus his addenda est diaeta commoda. Aen-  
enim temperate calidus est eligendus, omnis autem excessus in calore & frigore est vitandus, vt & aer crassus &  
nebulosus. Alimenta crassa, minus resolubilia & reli-  
qua §. 14. & 15. recensita, omittenda sunt, & omnia  
adfectui remouendo proportionata procuranda  
veniunt.

*SOLI DEO GLORIA!*